

**1963-11-22 – SS Paulus VI – Chirographum ‘Nobile Subsidium Liturgiae’**

PAULUS PP. VI

***CHIROGRAPHUM\* QUO  
CONSOCIATIO INTERNATIOANLIS  
MUSICAE SACRAE CANONICO INSTITUITUR***

**NOBILE SUBSIDIUM LITURGIAE**

Nobile subsidium Liturgiae, disciplinam dicimus Musicae Sacrae, qua mentes ad pietatem singulariter solent excitari, praeteritis temporibus curae fuit, estque in praesenti, Apostolicae Sedi; quod documentis Romanorum Pontificum luculenter comprobatur. Etenim hac de re copiose egerunt S. Pius X Litteris, a verbis «Tra le sollecitudini dell'officio pastorale» incipientibus dieque XXII mensis Novembris anno MCMIII motu proprio datis; Pius XI Constitutione Apostolica, cui, die XX mensis Decembris anno MCMXXVIII editae, appellatio est «Divini cultus sanctitatem»; Pius XII Encyclicis Litteris, quae, a prioribus verbis «Musicae sacrae disciplina» nuncupatae, die XXV mensis Decembris anno MCMLV emissae sunt, atque praeceptionibus, quae, «Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia» appellatae, die III mensis Septembris anno MCMLVIII sunt vulgatae. Ioannes demum XXIII acta Decessorum suorum in memoriam revocavit, ac studium et progressionem Musicae Sacrae fovit sollerter; qua ex parte iuvat memorare Epistulam, a verbis «Iucunda laudatio» incipientem, quam die VIII mensis Decembris anno MCMLXI ad dilectum filium Hyginum Anglés Pamies, Pontificii Instituti Musicae Sacrae docendae Praesidem, ob quinquagesimum expletum annum ab eodem Instituto condito, dedita atque ipsum Concilium Oecumenicum Vaticanum Secundum multas argumentas, in quibus versaretur, hanc etiam rem adiecit.

His Summis Pontificibus propositum erat, ut quotquot egregiae arti Musicae Sacrae operam dant, inter se et cum Apostolica Sede arctius coniungerentur; ut eidem Apostolicae Sedi praesto esset institutum quoddam internationale, cuius ope de necessitatibus, Musicae Sacrae propriis, certior fieret, quoque consulta Supremae Auctoritatis Ecclesiae de ipsa Musica Sacra ad effectum deducerentur; praeterea ut praecipue Missionarii auxilium praebereretur ad solvendam gravem magnique momenti quaestionem Musicae Sacrae in regionibus, missionali labore excolendis, atque varia hac in re inepta congruenti ratione inter se concenterentur; denique ut opera de Musica Sacra, prelo edenda, et studia de huius artis hereditate a maioribus accepta proveherentur.

In iis autem, quae supra dictae sunt, praeceptionibus de Musica Sacra (Cf *Instructio de Musica sacra et sacra Liturgia*, n. 117), Pius XII, Decessor Noster rec. mem., suasit, ut societas ad Musicam Sacram fovendam institutae numero multiplicarentur earumque fieret consociatio, sive nationales sive internationales, eo consilio, ut haec disciplina et ars felicibus incrementis augeretur.

Hoc igitur expletos optatum conspiratisque votis libenter obsecundantes, ab Episcopis nonnullarum nationum Nobis significatis, ea, quae sequuntur, decrevimus atque huius Nostri Chirographi vi decernimus:

**I.** Consociatio Internationales Musicae Sacrae canonice instituitur, cui propria est condicio «personae moralis», cuiusque sedes Romae exstabit.

**II.** Patronus vero eius est Emus Cardinales Sacrae Rituum Congregationis pro tempore Praefectus.

**III.** Eidem Consociationi propositum est, ut cooperationem concordemque actionem inter quam plurimos, qui sunt per orbem terrarum et ad quamvis pertinent nationem, studiose promoveat ad Musicam Sacram excolendam eiusque assequendum progressum secundum praescripta Ecclesiae.

**IV.** Sodalitatis huius Internationalis socii habentur alii iure proprio, alii aggregati:

*a)* Socii iure proprio sunt Instituta Musicae Sacrae, a Sede Apostolica approbata, et Societas Musicae Sacrae a legitima potestate ecclesiastica rite agnita.

*b)* Socii vero aggregati sunt alia Instituta et Societas, Prout Coetui Moderatorum visum fuerit.

c) Privati etiam homines possunt in Consociationem cooptare tamquam aggregati, condicionibus tamen ab eodem Coetu Moderatorum praestitutis.

**V.** Compages vero Consociationis constat e Consilio Generali, e Coetu Moderatorum, atque e Secretariatu:

a) Consilium Generale e cunctis consistit sociis simul adunatis.

b) Coetus Moderatorum, qui Consilio Generali et ipsi Consociationi moderatur, constituitur Praeside ac duobus eius vice fungentibus; qui omnes, proponente ipso Consilio, a Summo Pontefice nominantur munereque tres annos funguntur, scilicet usque ad subsequentem Conventum Internationalem Musicae Sacrae, ad normam statuti n. VI, b.

c) Secretariatus constat Secretario et Arcario, qui ambo a Coetu Moderatorum absque praefinito tempore nominantur, quique Romae commorentur necesse est.

## VI.

a) Consilium Generale, suprema praeditum auctoritate, de iis omnibus decernit, quae ad ipsam Consociationem pertinent. Excutit insuper et approbat relations de opere a Coetu Moderatorum patrato. Deliberat de futurorum sumptuum aestimatione et de rationibus accepti et expensi, ad Consociationem quod attinet.

b) Congregatur de more singulis trienniis, in Conventibus Internationalibus Musicae Sacrae, nisi aliter visum fuerit.

c) In Consilio Generali voto deliberativo gaudent socii iure proprio cooptati et Delegatus uniuscuiusque Nationis, ab Episcopis eligendus; voto consultivo et voce passiva gaudent socii universi.

**VII.** Muneris Coetus Moderatorum est ea, quae a Consilio Generali decreta sunt, ad effectum deducere.

**VIII.** Secretariatus ea universa agit, quae propria sunt muneris viri a secretis et ad rem nummariam pertinent, ductu Praesidis aut, si casus ferat, amborum simul vice eiusdem fungentium, qui omnes, pro casu, rei periculum et onus in se recipiunt.

**IX.** Personam eiusdem Consociationis gerunt Praeses, aut, eo impedito, ambo simul vice eiusdem fungentes.

**X.** Patrimonium Consociationis consistit e tributis sociorum, largitionibus inter vivos et mortis causa collatis a piis benefactoribus, et redditibus ex operibus Consociationis exorientibus.

**XI.** Coetus Moderatorum normas executivas horum Statutorum debet exarare, quas Consilio Generali proponat ad discutiendum et approbandum. Haec ediximus et statuimus, contrariis quibusvis non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXII menses Novembres, in festo S. Caeciliae, anno MCMLXIII, Pontificatus Nostri primo.*

**PAULUS PP. VI**

\* AAS 56 (1964) pp. 231-234

